




10

20

- deorsum ducta ventri junguntur, ut piscibus: & spina modo piscium eminet. Rostrum simia porcaria simillimum: cauda praelonga in tenuis desinens, & longis implicata in se orbibus. Elatior à terra est, quam lacerta. Pedes singuli bipartiti & se-
cantur, partesq; talem inter se habent situm, qualem pollex ad manus reliquam partem objectam. Sed ipsa etiam reliqua
partes paulotenus in digitos quosdam finduntur, aduncis unguiculis. Corpus asperum totum, ut crocodilo. Murat suum co-
lorem inflatus. Omnium oviparorum tenuissimus est: quippe qui omnium maxime inopia sanguinis rigeat. Causa ad mores
animæ ejus referenda est: præ nimio namq; metu multiformis efficitur. Motus ei piger admodum, ut testudinis: pallescit
cum moritur, defunctus colorem eundem servat. Subit cavernas, & latitat more lacertarum. Caput ejus, & guttur si
quernis accendatur lignis, imbruium, & tonitruum concursus facere Democritus narrat. Item jecur in tegulis ustum. Dex-
tro oculo, si viventi eruatur, albugines oculorum cum lacte caprino tolli. Lingua adalligata, pericula puerperii adimi.
30 Linguam, si viventi exempta sit, ad judiciorum eventus pollere dicunt. Item dextram maxillam ad formidines, pavo-
resq; corpore vero illito detrahi pilos: & felle glaucomata, & suffusiones corrigi. *Χαμῆλεων* ut Græcis, ita etiam Latinis Nomina.
Scincus appellatur: Arabibus Aschancur: Italis Stinco & Scinco: Hispani Stinco.

Chamaeleontis virens.

Γῆς ἰντρία.

TERRENI VERMES.

CAP. LXI.

Terreni vermes impositi, præcisos nervos glutinant: tertianas discutiunt. Decocti cum anserino adipe, infusi, affectis auribus medentur: cum oleo autem decocti, si in contrariam aurem instillantur, dentium doloribus præstant auxilium. Triti in potu ex passio urinam ciunt.

- 40 Terreni vermes etiam in medicum usum veniunt, quandoquidem oleo incoquantur ad articulorum, nervorumq; cru-
ciatus. Veruntamen aberrant plerumq; myropola in olei consiciendi ratione. Imponunt enim vermiculos in aneum ca-
cabum, & affuso inde oleo igni servesciunt: quo fit, ut parvo momento non modo inassentur, sed penitus comburan-
tur, nullo in oleo humore relicto. Fit autem rectius, cum vase vitreo excipiuntur, & diutius calore balnei macerantur,
oleo innatantes: namq; hoc modo eorum succus elicitur, comburiq; nequeunt. Præstat hoc oleum ita paratum, præsertim
si vermes rosaceo macerentur, ad podagricorum dolores, à calidis defluxionibus provenientes, inunctis prius locis dolen-
tibus oleo, & mox superpositis vermibus in eo elixis, tuis, admistisq; cum equali cerati pondere, quod tria pharmacum
vocat ex argenti spuma, oleo & aceto conflatum. Quibus etiam commendavit Plinius libro 30. cap. 3. ipsorum vermium
cinerem cum melle triduo emplastri more impositum. Quin & ipsos vermes in oleo veteri elixos, & superpositos. Ad hæc
terrestres vermes prius vino albo eloti, ac per se absq; oleo vase vitreo excepti, operculato vasis ore, ne quid expirare possit,
50 in balneum calentis aque immerguntur, tamdiuq; effervesce permittuntur, donec in liquorem oleo similem vertantur.
Præferunt quidam hoc, quod maxime præstet nervorum, & intestinorum vulneribus glutinandum. Quod longe efficacius
efficit, si factitio balsamo, de quo libro primo diximus, fuerit admistum: aut oleo, quod vitreis organis e larigna, sive abi-
egna lacryma elicitur. Namq; his additis universa corporis recentia vulnera brevi tempore glutinat, iis exceptis, quæ ca-
piti inferuntur. Dantur utiliter terreni vermiculi igne cremati, & in pulverem contriti felle suffusis, ex marrubii, vel ab-
sintibii decocto: addunturq; in electuariis ad idem paratis, ut Galenus docuit libro de theriaca ad Pisonem. Triti, ac rosaceo
subacti (ut idem author est) podagricorum inflammationes extinguunt. *Γῆς ἰντρία* Græcis dicuntur: Latinis vermes terre-
ni: Arabibus Charatin: Italis Vermi terrestri, & Lombrichi: Germani Regenwürm: Hispani Lumbrices de tierra:
Gallis Vers de terre.

Terrenorum vermium, & eorum olei virens.

Nomina.

60

Μυρογῶλον.

MUS ARANEUS.

CAP. LXII.

Mus araneus dissectus & impositus, sui morsus veneficia luit.

- Aranæus mus (ut Aëtius inquit) colore quidem muscæla similis est, magnitudine autem muri. Os verò sublongum ha-
bet, & exigua caudam. Dentes ei tenues, duplice ordine nati, in utraq; maxilla: quo fit, ut quatuor dentium ordi-
nes habeat. Quibus utiq; notis abundè respondent ii, à quibus picturam, quam hic damus, mutuati sumus. Meminit muris
aranei Nicander, in suis theriacis, dixitq; perire in rotarum orbita, si progrediens in eam incidit. Quod tamen fabulosum
poeticumq; censemus: tamen si non desint, qui terræ plaustorum rotis excussa, hujusce succurrant morsibus. Scribit Plinius
libro 8. capite 58. mures Araneos ultra Apenninum non haberi, cum tamen hoc ævo in universa reperiantur guntur.
Italia

Aranæi muris considerat.

Plinius.



Italia. In Ananienfibus montibus, Tridentino agro frequentes vifuntur. Nihilominus incolae inter venenata non habent: id quod fortassis & caeli & folis temperamento evenit. Siquidem nec Scorpiones ibidem exorti iftu venenum relinquunt, ut in eorum mentione fuperius diximus. Μουσάδα Græcè, Mus araneus Latine appellatur: Italice Topo ragno: Germanicè Spitzmauß: Hispanicè Murganbo.

Nominz.

Mures.

MURES.

CAP. XLIII.

Mures, qui in domibus oberrant, concifos fcorpionum plagis utiliffimè imponi, in confeffo eft. Si inaffatos infantes ederint, oris falivam exiccari promittunt.



Mures diverforum funt generum, fiquidem domeftici, fylveftres, ac montani reperiuntur, funt etiamnum aquatiles, 50
 Muris confider. marini. Verum primum de iis differentes, qui noftris in domibus oberrant, quique etiam in agris in magnam fegetum perniciem morantur. Aristotelus verba referam, qui libro 6. de hiftoria animalium cap. ultimo fic habet: Murium generatio mirabilis præter cætera animalia. majorem in modum eft, tum numero, tum celeritate. Jam enim fœmina prægnante in vafe miliario aliquando occupata, paulo poft reſerato vafe, muſculi numero viginti & centum reperti funt. Mirum etiam percipimus ortum redundantis agreſtris murium generis. Locis enim compluribus agri, tam inaudito modo oriri ſolent, ut parum ex univerſo frumenti relinquatur: tam cito abſumitur, ut nonnulli mediocres agricola, cum pridie metendum ſtatuering, poſtridie manè cum meſſoribus accedentes ad ſegetem, abſumptam inveniant totam. Interitus autem nimis evenit ratione: paucis enim diebus omnino abolentur: quanquam ſuperiore tempore homines vincere, vel ſuſſiendo, vel ſues, ut l. tribula eſſoderent, admittendo, non poſſent. Quin etiam vulpes eos venantur, & cati ſylveſtres in primis: ſed tamen ſuperare copiam, & celeritatem proventus nequeunt. Nec aliud quicquam omnium vincit, niſi umbres: iis enim quam 60
 Glirium confider. primum intereunt. Terra Perſica parte quadam mure ſœmina reſciſſa, ſœtus ſœminini prægnantes comperiuntur. Sunt qui vehementer confirmant, Mures, ſi ſalem lambant, impleri ſine coitu. Aegyptiis muribus prædurus. ſerè ut erinaceis, pinguis eſt. Habentur in murium genere & GLIRES. Idcirco (ut Plinius auctor eſt lib. 36. cap. primo) apud Romanos cenſoria extabant leges, Glires in cœnis apponi vetantes. Verum hoc avo ganeonibus maxime expetuntur in cibis, non modicam palato injuriam fieri putantes, ſi tam pingui privetur alimento. Sed ii minimè perpendunt, vel potius negligunt, quod glires pinguedinis exuberantia ventriculi appetentiam deſtruant, lentum ac frigidum gignant ſuccum, concoctum, contumaces exiſtant. Notatum non congregari glires, niſi populares ejusdem ſylva, & ſi miſceantur alienigenæ, amne, vel monte diſcreti, interire dimicando. Genitores ſuos ſeſſos ſenectæ alunt in ſigni pietate. Senium finitur hyberna quiete, Conditi enim & hi

& hi cubant, rursus astate juvenescunt. Montibus Goritienſi agro conterminis, & in Carniola, Carinthia, ac Stiria alpinis ſylvis maxima eſt horum quandoq; ſatura. Quo fit, ut numeroſi à venatoribus capiantur, præſertim cum ſagina glande abundant ſylva. Exeunt venatum nocte, & arbores ſuffientes, in quibus ſtabulantur, ſic eos ſtupēſactos innumeros capiunt, adeo ut in repletis ſaccis domum plerumq; redeant, quos poſtea excoriant, & impositos præ nimia copia cadis, ſale & muria aſſervant, quemadmodum piſces. Horum caro in utiliter eſtur, qui canina laborant fame: namq; exuberante pinguedine obrunditur appetentia, & tollitur morbus. Diſcoquitur Glirum caro detracta pelle, & inſectis exemptis melle in ſicili novo, addito nardo ad tertias, atq; ita aſſervatur, quod conſtet deplorata aurium vitia eo remedio ſanari. Georgius Agricola, vir alioqui doctiſſimus, & acerrimus rei metallica indagator, quod forte veros glires non viderit, neq; cognoverit, non ſine magno errore putat in libello, quem ſubterraneis animalibus dicavit, Sciuros à villoſa cauda, qua ſe operiunt & inumbrant, ita vocatos, Glires eſſe. Sed quod hæc duo animalia inter ſe maxime differant, omnibus notum eſſe arbitror, quam ut pluribus exponi debeat. Porro MONTANI mures cuniculos magnitudine aquant, ac etiam

Agricolæ
error.
Sciuros,
Glires e-
xiſtimā-
tis.
Murium
monta-
norum
conſider.

MUS MONTANUS.



nonnunquam ſuperant, cruribus non uſq; adeo longis. Capite leporem referunt: verum tam brevibus auribus ſunt, ut vix ſupra pilos appareant. Pilo veſtiuntur vario caſi modo, oblongo. Brevem habent caudam, & pedes acutis unguibus armatos. Hyeme admodum pingueſcunt, & obefi ſiunt, ita ut aliquando monſtroſe intumeſcant. Hi Ananienſibus Phæbeisq; montibus, in Tridentino agro frequentes habentur, vocanturq; vulgò corrupto vocabulo Marmontane, quaſi Mures montanos dixerint. Eriuntur ſapius uſi modo, anterioribus pedibus veluti manibus, cibum ori adminiſtrantes. Dentes anteriores quatuor habent leporis inſtar, ſed longiores, atq; acutiores, quibus ſaviſſime mordent. Sed mirum eſt (ego enim qui periculum feci, id certo teſtari poſſum) quod ſi acutis ſcorpionibus ſecentur, una tantum nocte renaſcuntur. Domi retenti ſi juvenes ſint, exuta quadantenus feritate miteſcunt, ſed uſenſibus damnum inferunt: quippe qui omnia, quibus obviant, erodant, & deſtruant. Hyeme deliteſcunt, ſæno ac paleis in acervum congeſtis plerumq; ſe condentes. Dormiunt integris menſibus, quemadmodum & glires. In montibus vivunt. Stramenta in cavernas comportant, quibus à frigore ſe tueantur. Exterrefacti acutiſſime vociferantur, ac ſibilant, & ad tumultus confugiunt. Horum carnes ſylveſtri & gravi quodam odore adeo ſpirant, ut quibuſdam nauſeam moveant. Quo fit, ut ſale & muria aſſervati tum odoris gravitatem, tum etiam exuperantem humiditatem ob pinguedinis copiam exuant: cum tamen tam recentes, quam ſale conditi concoctu admodum contumaces exiſtant, ventriculo laborem inferant, corpusq; univerſum excaſſant. Horum pinguedo medicis expetit, quod contractos molliat & reſtituat nervos. Sunt verò & alia quoq; murium genera, nempe, Ponticum, Laſticum, Noricum, Pannonicum, Indicum, à regionibus provinciſq; cognominata. Ponticus pilo eſt nivei candoris, ſed ſuperiore cauda parte ſaturatè nigricat: ea enim digiti longitudine non excedit, corporum magnitudo il-
li ut ſciuro: inſectatur aves & mures. Hunc ſanè id eſſe cenſemus, quod Armellinum vocamus. Laſticus pilo veſtitur in

SCIURUS.



cinereo

cincereo candidis, ventre tamen albicante: est Pontico paulo major: hunc varium appellamus. Noricus corporum mole domesticam mustelam aequat, pilis leporinis fere similibus, brevi constat cauda, caret auribus, non tamen foraminibus, quae habet aurium instar. Pannonicus, cui color subviridis, Mustela speciem refert, verum magnitudine domesticos mures non superat. Postremo Iudicus colorem habet fere murium montanorum, albi tamen compluribus intercurrentibus pilis, capite est & ore in longum porrectis, quin & auriculis breviusculis: cauda ab ipsis clunibus crassiore in exilitatem ad imum prolixè defluente, cruribus dodrantalibus. Corpore selem aequat, pedibus aliquantò brevioribus, ac pilo hispidiore, praesertim si adverso tractu mulceat. Atq; haecenus de murium generibus. Ceterum posset & Sciurus in murium genere recenseri, nam praeter caudam, quae illi adeo villosa, amplaq; est, ut ea se torum inumbret & contegat, cetera Pontico murifere similia sunt. Animal vulgò notum. Meminit Sciuri Plinius libro octavo cap. trigésimo octavo, his verbis: Prævident tempestatem & Sciuri, obturatisq; quæ spiraturus est ventus, cavernis, ex alia parte aperiant fores. De cetero 10
ipsis villosior cauda pro tegumento est. Ergo in hyemes alius provisum pabulum, alius pro cibo somnus. Hæc ille. Non desunt, qui Sciuri carnes in cibum paratas commendent, & quod utile corpori præbeant alimentum, quodq; cum palato non vulgarem ineant gratiam. Habet etiam ejus pinguedo suum in medicamentis usum ubi emollire, ac discutere opus sit. Ceterum murium stercus (ut in libro de theriaca ad Pisonem legitur) aceto subactum, capillis defluentibus utiliter illinitur.

Nomina. Quinetiam per se potum, vesica lapidem comminuit. Mores ita Græci, Latinè vero Mures appellantur: Itali Topi: Germani, Maus: Hispani Ratones: Galli Sorice.

T. 2. a.

LAC.

CAP. LXIV.

Lac generatim omne boni succi est, corpus alit, alvum emollit: stomachum & intestina + inflatione 20
vexat. Venum tamen dilutius æstivo habetur, & viridi pabulo alvum magis emollit. Probatum autem candidum, æquali crassitudine, quod ungui instillatum cogitur. Alvum minus tentat caprinum: quoniam pecus hoc adstringentibus, pabulis, robore, lentisco, & oleaginis frondibus, & therebinto magna ex parte vescitur: inde stomacho accommodatissimum reddi solet. Ovillum autem dulce, crassum, & præpingue: non autem usque adeo utile stomacho. Bubulum tamen, asininum, & equinum, ventri magis idonea, sed ipsum turbant. Quibus in locis pecora, scammoniam, veratrum, clematidem, aut mercurialem pascuntur, lac omne ventrem, & stomachum subvertit: a quale in Justinis montibus esse, à nobis 30
proditum est. Siquidem capræ, quibus candidum veratrum pabulo fuerit, primo foliorum partu evomunt: & eorum lac hauustum nauseam creat, & stomachum in vomitiones effundit. Ventrem adstringit lac omne decoctum, præcipueq; candentibus calculis marinis exustum. Et in summa, omnibus auxiliatur 40
internis exulcerationibus, præsertim faucium, pulmonis, interaneorum, vesicæ & renum: foris vero contra pruritum cutis, eruptiones papularum, & vitiatos corporis succos, recens cum melle crudo, addito sale, datur exigua aqua dilutum. Minus inflat quodcumque semel fervefactum. Dedoctum cum calculis marinis ad dimidias, ulcerosas ventris fluxiones adjuvat. Lac quodcumque serum continet implicitum, quod ubi discessit à lacte, multò potentius ad purgationes redditur. Datur, quibus sine acrimonia volumus dejectionem moliri ut melancholicis, comitialibus, lepris, elephantis, & erumpentibus toto corpore papulis. Ex omni lacte fit, quod schiston, id est scissile, appellant. Lac autem fictili novo fervet, ramoq; ficulneo recenti movetur, insparis, postquam bis, aut ter efferbuerit, totidem aceti mulsi cyathis, quot sunt heminae lactis: ita enim ferefcens liquidum ab eo dividitur, quod in caseum concrevit. Sed cum fervet, ne superfundatur, conveniet spongia ex frigida continuè fictilis labrum detergere, 40
sextariumque argenteum frigida aquæ plenum dimittere. Bibitur heminis per intervalla singulis, usque ad quinas, ita ut intercedentibus spatiis, potantes ambulent. Lac autem recens efficax est contra roliones, ustionesque, ab exitialibus medicamentis factas: uti à cantharidibus, aut salamandra, bupreste, aut pinorum eruca, hyoscyamo, dorycnio, aconito, aut ephemero: præsertim bubulum ad id eximie confert, gargarizatur autem exulceratis faucibus, tonsillisq;. Asininum peculiariter collutos dentes, gingivasque stabilis. Fluxiones alvi, si ulcera sentiantur, tenesmosque, ovillum, bubulum, aut caprinum, cum marinis lapillis decoctum, sistit: per se autem, & cum hordeacea ptisana, aut alicaceo cremore infusum magnopere intestinorum rosiones mirigat: ulceratae vulvæ immittitur. Humanum lac dulcissimum est, & maxime alit: mammis autem exustum, prodest tabi, & stomachi rosionibus: contra hauustum leporum marinum præsidio est: oculis cruore ex ictu suffusis, cum thuris poline instillatur: podagricis utile 50
est, cum meconio, & cerato illitum. Lac omne respuendum splenicis, hepaticis, comitialibus, vertiginosis, & nervorum vitio laborantibus, febriculosis, & capite dolentibus: nisi si quis interdum purgationis gratia, ut ostendimus, schistum præbeat. Primiparæ canis lactæ perunctos narrant glabrescere: potum contra venena antidoti vicem obtinet: abortus mortuos expellit.

T. 2. a.

CASEUS.

CAP. LXV.

Caseus recens sine sale sumptus alit, stomacho utilis est, & facile in membra delegatur: carnem facit, alvum modicè emollit: alius tamen alio præstantior, pro natura lactis, à quo conficitur. Decoctus autem, & expressus, deinde inassatus, alvum sistit: illitus, oculorum inflammationibus, & sugillatis prodest. Qui vero recens salitus est, minus alimenti præbet: carnem aptè minuit, stomacho adversatur, negotium ventri, interaneisque exhibet. Verustiore sistitur alvus. Sero, quod à caseo manavit quàm optimè canes aluntur. Quod hippacen vocant, caseus est equinus: ea virus redolet, magnopere alit, bubuloque proportionè responder. Nec desunt, qui Hippacen equinum coagulum appellarent.

Βούτυρον καὶ αὐτὸ λίγνον.

BUTYRUM, ET EJUS FULIGO. CAP. LXVI.

Lacte pinguisimo probatum fit butyrum, quale ovillum est. Fit & ex caprino, agitato in vasis lacte donec pingue separetur. Butyrum, natura oleosum est, & emolliens: unde largius epotum, ventrem resolvit:

resolvit: prodest, ubi oleum non adfuerit, contra venena. Cum melle si infricetur, dentitiones adjuvat: gingivarum pruritus, & oris ulcera infantibus emendat. Illitum foris capacia alimentorum facit corpora, & ab albidis pustulis per summa scatentibus asserit. Contra inflammationes & duritias vulvæ, quod nec virus resipit, nec vetustatem sentit butyrum efficax est: dysentericis, & coli exulcerationibus infunditur. In medicamenta addi solet, quæ pus movent: utile præsertim cum nervi, aut cerebri membranæ, vesicæ cervix, vulnera acceperit. Id autem purgat, replet, carnem creat, ab aspide percussis utilissimè imponitur. Recens obsoniis additum olei vicem pensat, & adipis vice fungitur in bellariis. Colligendæ ex eo fuliginis ratio hæc est. Butyrum in lucernam novam ingestum accenditur, fictilique operculato, quod superne in siphunculi speciem definat, & infima parte cuniculos clibani modo habeat, crematur, & subinde aliud in absumpti locum sufficitur, dum coacervetur fuliginis modus, quem facere institueris: penna post deraditur ad usus. Ejus effectus est in medicamentis oculorum, exiccare, & adstringere: fluxiones cohibet, & ulcera celeriter ad cicatricem perducit.

L A C, C A S E U S, B U T Y R U M.



Lac est benigni alimenti superfluum in seminarum mamillis ex bina sanguinis coctione progenitum. Constat autem id tribus diversis essentiis: nimirum caseosa, butyrosa, ac cerosa, quæ ab invicem separata, variam consequuntur temperiem. Sed de lacte primum rem exorsus, de eo tantum facultates differam, cujus hac tempestate tam in cibis, quam in medicamentis est usus. Tale autem est humanum, caprinum, ovillum, bubulum, bubalinum & asininum. Et quamvis veteres usi fuerint tum camelino, tum etiam equino: cum tamen in Italia, ac in aliis conterminis regionibus, quod sciam, eorum nullus sit usus, hæc tanquam supervacanea omnino reticenda censemus. Præcellit igitur humanum, quod temperatum sit in omnibus suis partibus. Hoc sequitur caprinum, etsi aliquantò siccius sit. His crassius est ovillum, minusq; serosum. Bubulum deinde, ac bubalinum, præter id quodd admodum sit crassum, cæteris longè pinguius habetur. Quamobrem lib. 10. simp. med. dicebat Galenus: Miror autem quo pacto Dioscorides ex ovillo, & caprino butyrum conficere ferat. Ego namq; ex bubulo fieri novi, ac proinde nuncupatum esse butyrum existimo: hæc Galenus. Porro asininum sicut lac omne seri exuberantia superat, sic cæteris pinguedine cedit. Probatur in universum lac colore, odore, sapore, ac substantia. Ob id igitur præfertur quod colore perquam albo visitur, pellucidum, ac clarum, non viride, non lutæum, non nigrum, nec aliquo livore suffusum: odore suavi, sincero, minimè gravi, aut virido: sapore quidem dulci, non amaro, acri, acido, aut salso: substantia mediâ inter crassum, & tenue, ita ut ejus gutta unguis instillata non defluat, sed in sua spherula permaneat. Quod autem tale fuerit, omnium sanè præstantissimum erit, & in cibis optimum. Contra pessimum præbet alimentum, ventriculum, ac totum corpus subvertit, quod contrarias notas habuerit, quodq; ex morbofis animalibus emulsum fuerit, vel etiamnum ab iis, quæ reprobatas, venenosasq; plantas depascuntur. Quocirca memoria prodidit Galenus lib. 3. de facult. alim. quod si capra, aut alterius cujuspiam animalis scammioniam, aut tithymalum depasti, lac cibi loco quis sumpserit, omnino alvus illi fluat. Optimum datur utiliter atate consistentibus, senibus non naturaliter frigidis, biliosis, & marasmo affectis. & de nig, ubi ventriculus excrementis vacet. Nocet lac potum contrâ febrilibus, capitis dolore affectis, ophthalmicis, resolutis, convulsis, fluxione tentatis, calculo oppressis, pituitosis, adolescentibus, obstructis, & in præsertim, qui lacte, & edulis lacte paratis, cænas & prandia claudunt: tantòq; major inde sequitur noxa, quantò crassius lac assumptum extiterit. Ea q; propter citato loco inquit Galenus: Lac, quod seri plurimum habet, etiam si semper eo utare, nullum prorsus periculum adfert. Quod verò hujuscemodi humiditatis exiguum habet, caseosa autem crassitudinis multum, omnibus qui ipso frequentius utuntur, est periculosum. Cæterum ut lac, quod bibendum est, prosit, hæc præterea adfuerint oportet: lac nimirum recentius sit mulsum, aliquid mellis, sacchari, aut salis admixtum sit, ne in ventriculo concrecat: tantumq; ex eo sumatur, quantum concoquere valeat ventriculus. A cibis etiam omnibus, & vino, postquam assumptum fuerit, abstinendum est, quousq; à ventriculo secesserit, minimeq; exercitio utendum est. At quoniam lac dentes inficit (etsi Dioscorides contrarium de asinino scripserit) eo statim ebibito, vino, aut hydromelite os abluere oportet. Quod autem immisto coagulo concrevit, quâquam verno, ac aestivo tempore, mensis frequentissimè expetatur, tamen angustiam parit, ventriculum opprimit, caput vaporibus replet, agrè concoquitur & crassum gignit succum. Quamobrem si quandoq; in cibum veniat, primum omnium ingeratur: siquidem ultimo loco sumptum (ut fieri adsolet) aut statim putrescit, aut subsidentem cibum secum ad ima incoctum trahit. Lac omne, humanum præsertim, cerebrum auget, corpus impinguat, siccam & asperam tussim lenit, venerem roborat, urinæ ardoribus subvenit, dissoluta corpora reficit, probi multiq; est alimenti, bonam facit alvum, facit in sanguinem vertitur, carnem auget, pectus dilatat, & cæteris alimentis majus adfert nutrimentum. Quod autem lac primipara canis perunctos glabrescere faciat, potum verò emortuos educat fetu, ut nonnullis proditum esse scribit Diosc. reprobat Galenus

Lactis
consider.Lactis
probatio.Lactis fa-
cultates.Lactis bi-
bendi ra-
tio.Lactis
coagulati
vires.

Lactis
cult. c
Gal.

Quinetiam palpebris extrinsecus, ubi qui ophthalmia laborant, somno sese dabant, impositum simul cum rosaceo & ovo, phlegmonas eorum concoquet. Sed hoc esto lac mulieris recens ex mamilla expressum. Infundimus ipsum & utero ulcerato tum per sese, tum in medicamentis commiscens, quibus misceri potest, utiq; citra morsum curantibus, & ubi in sede ulcera mitigamus praesentis acrimonia dolentia, aut phlegmonas, aut rugas perpetiunda. Sic & ad ulcera pudendorum utimur, & omnia quae leniri postulant, sive ob inflammationem, sive morsum, sive ob malignitatem. Eaq; propter & cancriosis applicatur ulceribus, medicamentis anodynis commixtum, qualia sunt, quae ex pompholyge constans. Et quid attinet commemorare, quod ore contentum, collutum gargarizatumq; vel maxime phlegmonas eius mitigat: Sed & consillas, & columellam, & antiad. phlegmone affectas admodum mitigat, & proinde angnam. Atq; ut semel dicam, medicamentum est leniens, totam quidem substantiam habens mordacitatis expertem: sed multo magis, ubi concoctione moderata potissima pars serosi humoris absumpta est. Sic mihi videntur etiam medici ad venena, quae erosionem interimunt, lac dari suadere, velut & lepus marinus interficit, & cantharis. Sed & sunt, qui aconitum, & thapsiam sumpserint. Sed hac ex ratione fecerunt. Quod Graeci γάλα, Latini lac dicunt, Arabes, Leben: Itali, Latte: Germani, Milch: Hispani, Leche: Galli, Lait. Caseus vero ita Latinis: τυρός, Graecis vocatur: Arabibus, Lubon seu Gieben: Itali, Cascio: Germanis, Kase: Hispanis, Queso: Gallis, Fromage. At Serum Latine dictum, Graece σῆρ γάλακτος appellatur: Italicè, Siero: Germanicè, Molcken: Hispanicè, Suero de leche: Gallicè, Ser du lait. Quod deniq; Graeci βούτυρον, Latini similiter Butyrum nominant: Arabes, Zebd: Itali, Burro: Germani, Butter: & Ancken: Hispani, Mautea: Galli, Beurre, & Bayre.

+ Illud hoc loco non praeirendum duxi, quod in Graeco codice manu scripto non φούριον, hoc est inflationem pariens, sed φούριον, id est, naturale legatur: quod lac potius stomachum juvet, quam inflationem vexet: id enim innuit verbum naturale. Hanc lectionem secutus fuisse videtur Serapio: quippe qui ex Dioscoride ita transcribat: Et lac confert stomacho. Quin & facili potuit esse librorum lapsus ob vocum similitudinem.

Nomina.

Εἶναι, καὶ οὐκ ἔστιν.

LANÆ, ET OESYPUS.

CAP. LXVII.

Succidæ lanæ molles è collo feminibusque, laudatissimæ habentur. Subveniunt inter initia vulneribus, percussis, desquamatis, lividis, ossibus fractis, aceto, oleo, aut vino imbutæ: liquidem facili succos combibunt, quibus immerguntur, & ob pecudum sordem (sic enim œsypum vocant) emolliunt: capitis, stomachi, aliarumque partium doloribus, cum aceto, & rosaceo efficaciter imponuntur. Crematarum

L A N A.



lanarum cinis crustas obducit, excrescentias in carne cohibet, & ulcera ad cicatricem perducit. Mundæ autem, & carpræ, in fictili crudo, cæterorum more uruntur. Nec secus limbrati marinarum purpurarum flocculi cremari solent. Aliqui cum sordibus lanas carpunt, & melle irrigant, eodemque modo urunt. Alii in fictili oris patuli, verucula inter se distantia componunt, & conceptas carminatasque lanas, oleo ita suffusas, ut ne stillare quidem possint, assulis tedæ subiectis, & eisdem, lanisq; permutatim interstratis, leviter succedunt, & uistas tollunt. Quod si è tedæ pix, pinguitudine ulla profluit, collecta reconditur. Lavatur ad oculorum medicamenta: cinerem in labellis, aqua addita, manibus confricant, & confidere patiuntur: idque sæpius, mutant aquam, donec linguam adstringat, nec mordeat. Oesypum vocant Graeci, succidarum lanarum pinguitudinem: cuius parandi ratio hæc est. Succidæ molles, radícula non curatæ, calida aqua lavantur, & quibuscunq; sordibus expressis, & in labellum oris ampli coniectis, aqua infunditur, magnoq; impetu ligula, uti respumet, agitur, aut lignea rude validiusculè conturbatur, quo largius sordida spuma colligi possit, deinde marina respergitur: & confidente pingui, quod supernatabat, collectoq; in altero fictili vase, denuo aqua in labellum fusa agitur: spuma iterum mari perfunditur, & demum eximitur: hoc tantisper fieri solet, dum consumpta pinguitudine, nihil prorsus spumæ extet. Collectum œsypum manibus emolliunt, & si qua insedit spurcicia, confestim demitur: exclusaq; sensim omni aqua, recentiq; affusa manibus misceatur, donec ad motum linguæ œsypum adstringat leviter, nec mordeat, atq; pingue candidumq; spectetur: tum in fictili vase conditur: verum omnia fervido sole fiant. Nonnulli excolatum pingue frigida aqua eluunt, & manibus, non secus atq; ceratum mulieres, confricant: ita enim candidius redditur. Alii elotis lanis, & sordibus quibuscunq; exemptis, ac lento igni in æneo vase ex aqua decoctis, pingue, quod supernatat, collectum aqua, ut diximus, lavant: colatumq; in fictilem patellam, quæ calidam aquam contineat, lintheo operiunt, atq; soli mandant, donec candidum fiat,

C c 2

& satis

colo transfunditur in aquam. Ubi verò refrixit, & guttatim aquam omnem excludit, in prælotum fictile demittitur, & infusa aqua leniter eliquari debet, & manu deprimi, quò facilius sæculentum virus pessum

Oribas.
leg. 24.
p. 114.

eat: postea in pilam spongia madefactam transfunditur: ubi coire cœpit, residens in imo sordes eximitur.

Tertiò citra aquam eliquatur, repurgatusq; fictili bene operculato, perquam frigidis locis reponitur. Hircinum sebum, ovillum, cervinumq; ita curato. Elotum ex his quodcunq; tunicis (ut in suilli men-

10 ne aqua liquefactum, in perfusam liquore pilam colato, refrigeratumq; ut in suilli ratione diximus, recondito. Bubulum autem sebum, renibus maximè detractum, exemptis membranis, aqua marina ex alto petita eluendum est: mox in pila tundendum diligenter, affusa maris aqua. Cum verò dissolutum fuerit, in fictilem ollam conjiciendum, & marina aqua, quæ non minus dodrante superemineat, prolundum: decoquendum, donec omnis aboleatur odor, additis ad singulas sevi Atticas minas, quaternis Thyrrhenicæ ceræ drachmis: excolatumq; detractis quæ pessum ierunt sordibus, in novo fictili reponendum, opertumq; soli interdum credendum, ut ad candorem reducat, & odoris virus evanescat. Pri-

20 vatim taurorum pingue sic curari debet. Renibus evulsum pingue profluente amnis aqua abluito detractisq; tunicis, fictili novo, postquam exiguum sale insperferis, liquefacito: dein in nitentem aquam excolato: & ubi condescere cœpit, manibus iterum confricando vehementer lavato, aqua sæpius in-

30 fusa, refusaq; donec quàm optimè elorum videatur. Rursus in olla cum pari modo vini odorati decoquito, & cum iterum efferverit, dempro ab igni vase, ibidem finito pernoctare: postridie si graviter adhuc oleat, nova olla repetitum, vino odorato perfundatur: eadem quæ prius, hant, dum omne virus evanescat. Colliquatur & sine sale, præsertim affectionum earum causa, quibus sal adversari solet, sed ita paratum non magnopere albescit. Eodem modo pardorum, ac leonum pingua curari oportet.

¶ Hæc omnia veluti subditi- cia nō describuntur ab Oribasio.

40 a Taurinum autem, & vitulinum pingue, necnon cervinum, atque etiam hujus animalis medulla odoramentis imbuitur, hac ratione. Pingue, quod odoratum reddi debet, demptis, quo diximus modo, membranis, elutum, & vino quàm odoratissimo, nulla maris aqua diluto, fervefactum, pernoctare sinitur: alterum id genus vinum eadem mensura infunditur, colliquatur, & exquisitè colatur: novemq; ejus heminis, junci Arabici septem drachmæ adjiciuntur. Quòd si ipsum odoris fragrantioris heri voles, quadraginta floris ejusdem drachmæ, cum paribus palmæ, calami & Cassiæ modis adduntur: & Xyloballami, Aspalathi singulæ drachmæ, cinnamomi, cardamomi, & nardi singulæ uncia: omnia exactius tunc-

50 duntur, & affuso vino odorato, in vase operto, quòd supra carbones firmiter collocatum sit, ter effervescent, & semoto ab igni vase inibi pernoctant: postridie vinum effunditur, aliudq; generis ejusdem adjicitur. Ter simili modo bene confervescat: deinde matutinis exempto adipe vinum effundatur: & abluto vase, si quid imo subsidens hæsit, detergatur: postremò eliquatum pingue, & excolatum, ad usus reconditur. Hoc autem modo odoramentis imbuitur, quod antea curatum est. Verùm ante dicta prius inspicari solent, quò facilius sibi odoramentorum vires adsciscant. Itaque assumens quodcunq; horum voles, cum vino fervefacito, impositis unà myrti ramulis, serpyllo, cypero, item aspalatho plenius tuso. Aliqui tamen ad hunc usum, uno duntaxat horum contenti sunt. Cum autem ter effervuit, exemptum

60 leniter, & linteo colatum, aromatis, uti expositum est, imbuitur. Adipibus spissamenta sic hunt (quemcunq; acceperis, oportet ut recens tundatur.) Sincerus & sanguinis expers adeps, reliquas habens notas, quas sæpe retulimus, in ollam novam demittitur, infuso vino albo, vetere, odorato, quod semipedis altitudinem superet: lento igni fervefacit, dum vernaculus odor aboleatur, planeque vinum redeat. At ubi depositum vase refrixit, duæ adipis minæ in ollam mittuntur, & duo vini ejusdem sextarii, & seminis loti, ejus inquam, cujus è ligno ludicæ tibicæ factitantur, tusi minæ quatuor adjiciuntur: lento igni subinde miscendo decoquuntur: cumq; odoris virus evanuerit, excolatusque adeps refrixerit, una contusi aspalathi mina, cum amaracini floris minis quatuor, & vetere vino subigitur. Nocte una hæc odorem rapiunt, combibuntve: postridie in fictilem ollam tricongiam ea omnia cum adipe injecta, additis sextariis tribus vini, unà fervescent, quousque & vim, & odorem spissamentorum adeps ipse con-

70 traxerit, qui eliquescent colatur, & reponitur. Quòd si majorem odoris fragrantiam efflagites, drachmas octo quàm pinguiusimæ myrrhæ vino macerata, quòd multos in annos asservatum est, misceto. Gallinaceus, anserinusque sic odoribus imbui solent. Cujusvis eorum percurati sextarii duo fictili olla excipiuntur: erylisceptri, xyloballami, palmæ elatæ, & calami planè contusi, singulorum sescuncia admiscetur: vini Lesbii veteris cyathus unus adjicitur: ea ter effervescent prunis, mox vase sublato ab igne, die, noctuque refrigerantur: postridie liquata per linteum crassum mundum in vas excolantur: ubi verò adeps coierit, concha excipitur, fictiliq; novo densius operto perfrigidis locis reponitur. Hyberno tempore id instituere oportet: æstate siquidem pingua non coguntur. Nec defunt, qui Tyrrhenicæ ceræ momentum adjiciant, quò facilius in unum corpus omnia coalescant. Eadem ratione suillus adeps & vrsinus, cæteri que id genus, odoramentis imbuntur. Verùm sampsuchi odorem adeps ipse repræ-

80 sentabit hoc modo: Curati quàm optimè adipis, præsertim taurini, mina una, tempestivique sampsuchi exquisitè confracti sesquimina miscentur, & insperso largiore vino digeruntur in offas, quæ in vase cooperto nocte quiescunt. Matutinis in fictili olla leviusculo igni, affusa aqua leviter coquuntur: dumque suum adeps odorem exuerit, defæcatus, ac bene opertus, nocte tota permanet: postero die deterfa sorde, quæ pessum ierat, sampsuchi, ut dictum est, contusi iterum sesquimina priori pastillo adjicitur, eodemque modo in offas cogitur: aliis quæ diximus peractis, decoquitur, & colatur, & si qua fundo hæsit spurcitia, deraditur, & frigido loco reconditur. Si quis tamen incuratum adipem anserinum, gallinaceum, aut vitulinum à putredine tueri velit, ita faciendum est. Quemvis adipem diligenter elotum, & ficcatum in umbra super cribrum, per linteum munda manibus vehementer exprimat, linoq; contusum umbroso in loco suspendat, & post multos dies nova charta involutum, frigido

do loco recondat. Pinguia autem indito melle vindicantur à putredinis vitio. Vis omnium est ex-
calcare, mollire, rarefacere. Taurinus adeps, bubulus, & virulinus aliquantum adstringunt. Earundem
virium compos leoninus: nam resistere eum ajunt iis, qui insidias moliantur. Cervino, elephantinoque
perunctos, serpentes fugiunt. Adstringentior est caprinus: qua ex causa decoctus cum polenta, rhoe, &
caseo dysentericis datur, & cū prisanæ succo infunditur. Jus decocti phthysicis in sorbitionibus prodest,
datur quoque utiliter iis, qui cantharidum venena hauserunt. Hircinus, ut qui validissime discutiat, po-
dagricis auxiliatur, cum fimo capræ, & croco impositus: huic proportionem respondet ovillus. Suillus
verò contra vulvæ, & sedis vitia idoneus est: ambustus igni medetur. E sue vetustissimus quisque sale
conditus exalfacit, & emollit: elotus vino pleuriticis prodest cinere, aut calce exceptus, inflammatio-
nibus, fistulis, ac tumoribus succurrit. Asinum tradunt cicatrices corpori concolores reddere. Anse-
rinus, gallinaceusq; conveniunt muliebribus malis, & ad labiorum rimas, ad mangonizandam faciem,
& contra aurium dolores. Ursinum constat raptos vitio alopecie capillos restituere. pernionibus subve-
nire. Vulpinus medetur aurium doloribus. Fluvialium piscium pinguia perunctis oculis claritatem
afferunt, si in sole liquecant, & melli admisceantur. Viperæ adeps contra oculorum hebetudines, suf-
fusionesque efficax est, addita cedria, melle Attico, & pari oleo vetere: pilos alis evulsos perunctis ra-
dicibus recens, & per se illitus obliterat, atque renasci non patitur.

PAmetsi de adipibus, servis, & pinguibus, quæ in medicum usum veniunt, copiosè, & abundanter locutus sit Dioscori-
des, utpote qui non eorum modo facultates, & vires tradiderit: sed etiam rationem docuerit, quæ illa curentur, spissa
& odorata reddantur, & à putredine vindicentur: tamen cum de eorum natura, & facultate accuratius (meo quidem
judicio) copiosius etiam, & particularius disseruerit Galenus, nec vanum, nec à nostro instituto alienum duximus, hic ea
omnia referre quæ ab ipso memoria prodita sunt libro ii. simplicium medicamentorum, ubi ita scriptum reliquit: Pingu-
do, & adeps & hac quoque communissima sunt inter animalium partes. Nam omnia quæ bene nutriuntur, aut pinguedi-
nem, aut adipem obtinent. Quæ verò macilentia sunt, maleq; nutriuntur, sæpe omnino ne habere quidem apparent. sæpe
verò adeo pauculum, idq; siccum, ut agere uti possis. Porro differt à pinguedine adeps crassitie: ac propterea animantibus
totam naturam terrosiorem habentibus adeps provenit, velut humidioribus pinguedo. Proinde pinguedo celeriter ab igne
liquefit, nec facile, ubi liquata fuerit, rursum concrevit, cogiturve. At adeps nec facile funditur, liquefitve, & susus ce-
lerrimè coit, ac cōglaciatur, multoq; apparet pinguedine durior. Sus enim bene nutritus, pastusve multam habet pinguedi-
nem, ob naturalem temperamenti humiditatem. At boves, & capra, & quæcunq; id genus cornigera, ob siccitatem adipem
plurimum generant. At tu si voles, oleosam, & pinguem in animalibus substantiam omnem, adipem appellato, ut pleriq;
medici. Sed & pinguedinem appellare totum hoc genus tibi licet. Non tamen licet tibi citra mendacium adipem caprinum
humidiorem esse dicere, quam suum. Nam hic omnium ferme aliorum est humidissimus, ac proinde actione sua vicinam
oleo vim possidens, quamquam oleo magis tum emolliat, tum concoquat: ac proinde cataplasmatis, quæ ad phlegmonas ac-
commodantur, commisceri solet. Qui vero mordicationes perpetiuntur aut in recto intestino, aut in colo, in potius capri-
num adipem, quam suillum injicimus: non quod acrimonia plus obtundat (nam ex natura sua suillus obtundit magis,
ac proinde miscetur medicamentis ulcera curantibus, cujusmodi est, quod vocant parygum) sed quod caprinus ob crassi-
tatem citius concrevit, suillus autem instar olei defluat: proinde ipsum potius dysentericis, & teneosismis injicimus, quando
morsum eorum mitigare consiliū est. Porro ob tenuitatem partium nonnulla acrimonia: magis retundunt, ubi nimirum in
alto mordicatorum corporum, quod molestum est, hæserit. Nam quod crassarum est partium, minus: magis autem quod
subtilium partium est, tota corpora penetrat, & omnibus ipsum saniebus mordicantibus permiscetur. Hac ratione adeps
anferinus, quæ in alto corporum mordicant, magis obtundit: sed & suillo calidior est. Horum tamen in medio est gallina-
ceorum adeps, ac gallinarum. Porro calidior semper ac siccior est masculorum animalium, & horum ipsorum exectorum
minus tum calidus, tum siccus. Quippe mas castratus ejusdem semper generis fæmina assimilatur. Hoc autem sermonis
caput commune est, cuius meminisse oportet: Pro animalium temperatura semper existere differentias ejus, quæ in illis est,
pinguedinis, aut adipis, aut quocunq; modo appellare licebit totum hoc genus corporis in animantibus oleosi, & pinguis.
Igitur cum sus omnibus prope quadrupedibus animalibus in caliditate, ac siccitate inferior sit: proinde pinguedinem quo-
que minus habet calidam, magisq; humidam. Omnis igitur pinguedinis facultas est humectatoria, & exalfactoria hu-
manorum corporum. Hujus enim meminisse perpetuo oportet in principis hujus operis dicti. At differentia, quæ sunt cu-
jusq; singulatum, in majoris minorisq; ratione sunt. Nam pinguedo sua, ut ad nos quidem, largius humectare potest, sed
non aequè exalfacere, ut oleum: verum pinguedinis suum talis est caliditas, qualis spectatur in nobis. Porro taurorum a-
deps suillo multo calidior est, & siccior. Rursum id & hic memoria repetentibus nobis, marem fæmina esse tum calidiorem
tum siccior: marem autem castratum assimilari fæminæ, velut quicquid juvenilis est ætatis. Et inter juvenilia fæmi-
na mare humidior est, & minus calida. Sic & adeps vitulinus, taurino minus, tum calidus est, tum siccus: & hadorum
quam caprarum, sed & caprarum minus, quam hircorum: & rursum taurorum minus, quam leonum: nam horum a-
deps omnium prope quadrupedum adipe potentius digerit: nam & ipsorum calidissimus est, & maxime tenuium partiū.
Itaq; si ipsum medicamentis ad ulcera, & phlegmonas convenientibus commisceas, non modo nihil adjaveris, verum etiam
leseris, nimirum addita majori, quam conveniat acrimonia. Inveteratis tamen tumoribus atq; scirrhis in morem indu-
ratis, tum nervorum curvaturis (αἰνιδία Græci vocant) & in summa quacunq; scirrhusa sunt, is aptissimus est, in qui-
bus sanè inefficacissimus apparet suillus. Taurinus autem ab utroq; ex æquo distat, ut quanto calidior sicciorq; suillo est,
tanto superetur à leonino. Itaq; tanquam in medio consistens, merito utriq; medicamentorum miscetur generi, & in
scilicet quæ scirrhis modentur, & iis, quæ phlegmonas concoquunt, cujusmodi est tetrapharmacum quod vocant, ex ce-
ra, resina, pice, & adipe constans. Nam sive in hoc taurinum, sive vitulinum, sine hircinum, sive suillum indideris, semper
puri movendo aptum, & concoctorium medicamen effeceris. Sed suillus si addatur, in pueris & fæminis, & ut breviter
dicam, omnibus quibus caro est mollior, competit. Sin taurinum adjeceris, fossoribus, & omnibus carnem du-
ram habentibus, sive ob naturalem temperiem, sive ex ratione, ac forma vitæ, conveniens effeceris. Ceterum adeps omnis
dum inveterascat, se ipso & calidior, & tenuior efficitur, ac proinde quoque magis discussorius. Verum id omnibus fere
inveterascentibus accidit, quæ quidē putrescere non anticipent. Nam vinum, mel, acetū, frumentum, butyrum, lana succi-
da, oleum omne sive lentiscinum, sive cicinum, sive raphaninum, sive ipsum quod ex olivis conficitur, vetustate & cali-
diora, & tenuioris essentia efficiuntur, ac proinde gustantibus apparent acriora, & ad induratos, atq; solubiles affectus
omnes

omnes adhibentibus potentius digerentia. Atq; ego sanè gustantibus actiora videri dixi. At quidam, quibus studium est nominum significatus corrumpere, non acris, sed adstringentia vocant id genus omnia, adusq; piper: tanquam intersit nihil, adstringens, an acre dixerit. Et si denno illos roges de galla, myrtis, messilis, mali punici putaminibus, quæ sîdia vocât, rhoë & omphacio, & hæc dicunt adstringere: tamen si adversissimum ex illis sensum percipiamus ei, qui in nobis sit a pipere, pyrethro, napy, euphorbio, capâ, alio, & adarce: igitur si quemadmodum adstrictionis vocabulum de utroq; affectu, quem gustu percipimus, communiter efferunt, sic ipsos quoq; affectus unam habere naturam existimant, quidvis aliud potius habendi sunt, quam homines, ut qui soli proprios sensus obtineant. At si omphaca, rhoa, gallam, balaustium, hypocistida contrahere, constringereq; nostram faciant substantiam: secernere verò, mordicare, ac penetrare, piper, napy, pyrethrum, improprie adstringentia nuncupant, quæ mordicant, & excalfaciunt: ceterum in cognoscendis ipsis medicamentis non peccant. Verum si oportet conjectantem dicere, an in vocabulis, aut in rebus hallucinentur, equidem in vocabulis potius falsos viros illos dixerim, & maxime quibus Græca lingua insueta est, qualis est Dioscorides Anazarbensis, qui profecto multa bene dixit eorum, quæ de materia medica memoria prodidit, ceterum significata Græcarum vocum non satis pernovit. Hic ergo cum ait magis esse adstrictorium adipem caprinum suillo, siquidem actiorem significare velit, per magis adstrictorium, accipimus sermonem ceu verum. At si illud, talem habentem qualitatem, & facultatem, qualem rhoë, rheon, hypocistis, balaustium, haud verum esse sermonem dicemus. Porro quoniam viperarum adipem, ubi radicitus pilos sub alis evulseris, prohibere illos recrescere illitum referunt, visum est mihi ejus facere periculum esse satius: at ubi prout ju-
Viperarū.
Ursorū.
 vent, fecissem, mentitos comperi, sicut etiam quod initia suffusionum sanet. Verum ursorum adipem alopecias curare vere scripserunt: cum tamen probatiora habeamus ad eum affectum remedia. Porro cum dicant tamē vulpinum adipem dolores aurium sanare, absq; ut explicent, quos aurium dolores dicant, ceu non noscentibus ipsis distinguere, quæ dicunt, attendendum non est: Alii piscium adipem laudant, tanquam ad suffusiones, aut quemcumq; alium affectum nominare velint, congruat. Alii non simpliciter piscium, sed addunt fluviatilium: alii verò potius marinorum, quo videlicet aliquid plus scire videantur, quam vulgus: hæc Galenus. Ceterum de Tassi pinguedine, quæ (ut experimento manifesto constat) contractos nervos, & articulorum duritias emollit, & discutit, nihil posteritatis memoria prodiderunt Dioscorides, Galenus, & Paulus. Nec præterea Galenus pinguedinem curanda, ac paranda rationem ullam, quod sciam, tradidit: nec quibus odoramentis veteres pinguedinem imbuerent, & in unguenti morem conficerent: quemadmodum hæc nostra ætate unguentarii illam parant, quam vulgo POMATA vocamus. Ea autem hoc modo paratur: Sumunt cervini adipis, aut hædi
Adeps pi-
scium.
Tassi
pingue-
do.
Pomatæ
parandæ
ratio, &
usus.
 binas libras: suilli vero recentis uncias sex, deinde exemptis membranis, vino albo lavant, exprimuntq; tamdiu, donec vinum omne exeat: post hæc elotam pinguedinem in fictile novum, vitro, vel plumbo oblitum conjiciunt, additis nardi Indici grana tribus, car yophylorum semuncia, nucis myristicæ drachmis duabus, malis appianis, vel sylvestribus semiconsis senis, vel septenis. Hæc omnia in sufficienti aqua rosacea quantitate macerant die una: deinde lento igne tamdiu decoquunt vas operculo contegentes, & rudicula sæpius miscentes, quousq; universa serè aqua evanescat. Percolant deinde linteolo spissiori subdito vase mundo, aqua rosarum madente, dimittuntq; concreescere. Quo facto in fictile novum iterum conjiciunt, adjectis olei amygdalini dulcis uncias sex, cera albæ uncias quatuor, & ad ignem colliquant, ac postmodum linteolo percolant in nitidissimum catinum aqua rosarum affusa, sinuntq; concreescere. Demum eadem aqua moschum experta, aut aliis fragrantibus aquis tamdiu lavant rube miscentes, donec unguentum illud ad summum albescat. Tunc enim extrahunt, & vitro vase recondunt, servantq; in frigido loco, ne rancorem contrahat. Hoc in Italia frequentissimum obtinet usum ad labiorum, manuum, & mammillarum rimas, tam frigore, quam ab acris succo factas. Utuntur eo præterea ad desquamata cutem, & ad crustosas papulas, quæ pueri in capite enascuntur. Sunt qui ei corallia porphyreo lapide levigata admisceant, ut melius citiusq; rime occludantur. Alii verò cinnabarin addunt, ut flammeum referat colorem. Porro
Adipis in
cibis fa-
cultas.
 (ut lib. 3. de facult. alim. scribit Gal. & Isach Arabicus in diat.) Adeps omnis in cibis sumptus ventriculum effundit, appetentiam dejicit, pituitam auget, parum nutrit, succum illaudabilem gignit, alvi fluxiones commovet, retentricem ventriculi facultatem imbecilem reddit: sensus & intellectum hebetat, somnolentiam inducit, & in ventriculo facile in bilem vertitur, & in vapores caput petentes. Quare adeps est potius in ciborum condimentis, quam in alimentis expetendus. Ex Græcâ, Latinus adeps, & pinguedo appellatur: Arabibus Menim, Vxaham, sive Saham: Italis, Grassio: Germanis, Seist/ Fettigkeit und Schmalz: Hispanis, Gordua: Gallis, Gresse.

Medullæ.

MEDULLA.

CAP. LXX.

50 **L**audatissima est cervina, mox vitulina, post hæc taurina, dein caprina, & ovilla. Colliguntur ætatis exitu, cum appetit autumnus: quippe cum aliis anni temporibus concrementum sanguinis, & veluti caro friabilis, in ossibus invenitur: nec facile cognosci potest, ni quis eam ossibus extrahat, & recondat. Omnes medullæ molliunt, calfaciunt, rarefaciunt, ulcera explent. Cervina perunctos venenata fugiunt. Curantur recentes, adipis modo, aquæ resperfu subactæ, selectisq; ossibus tantisper elotæ, & in linteum expressæ, donec aqua sincera emanet: & deterfa forde pinna, si qua innatet, liquatæ in duplicato vase in pilam exprimuntur: & ubi coiere, omni facie, quæ ad ima sedit, derasa, fictili novo reponuntur. Quod si liber incuratas reponere, facito omnia, quæ de anserum, & gallinarum adipe demonstravimus.

60 **M**edulla, ut scriptum reliquit Galenus lib. 11. simplicium medicamentorum, vim habet indurata, & scirrhusa corpora emolliendi, sive musculus, sive tendonibus, sive ligamentis id accidat, sive etiam visceribus. Optimam semper expertus sum cervinam, deinde ipsorum juniorum bouum, quos vitulos etiam nominant, ac proinde medullam eorum vitulinam appellant. At hircorum, & taurorum tum acrior est, tum sicciior. Itaq; durities scirrhusas dissolvere nequit. si qua etiam memoria manet eorum, quæ in quinto libro de his sunt prodita. Ex vitulina igitur, & cervina medulla pesti componuntur uteros emollientes. Et extrinsecus uterq; medicamenta imponuntur, quæ ex medulla præparantur, vim habentia emolliendi: Accipitur autem non solum medulla ex ossibus, quæ sanè revera est medulla, sed & ex spina, quam & ipsam medullam nominant, spinalem videlicet: quæ tum durior, tum sicciior est, quam alia. Illa enim mollior est & pinguior: ac proinde ego spinalem seorsum per sese absq; illa repono. Sed ea mihi utriusque medulla cura est, ne aut putrescant, aut situm colligant. Itaq; in hyeme primum eas capio, velut & adipem, deinde in adibus siccis, atq; editis, planè humoris expertibus, cum solis lauri sicci repono. Nam quæ recentia sunt & humida, multum etiam qualitatibus suis illis impatiunt, ut aciores fiant medullæ. At si quando ambiente calido, & austrino, medullas aut adipem voles reponere, paratum sit in hoc cubiculum neq; calidum, qualia serè sunt quæ meridiem spectant (putrescunt enim in talibus) nec hu-
Medullæ
vires ex
Gal.

Cc 4

mo pro-

mo proximum, atq; humidum (nam in talibus situm contrahunt) sed supernum atq; excelsum, & ad aquilonem ob-
versum, parvas habens fenestras apertas, ut tam noctu, quam interdiu ab Ardo spirantes ventos accipiat: haecenus Gale-
nus. In usu vero ciborum spinalis medulla id nutrimenti corporibus exhibet, quod cerebrum. Idcirco pituitosum, ac crassum
generat succum, agere concoquitur, ventriculo nocet, nausam concitat: robustum tamen ventriculis concocta, bonum prabet
alimentum. Porro quae ex ossibus elicatur medulla, quanquam largius sumpta ventriculi appetentiam destruat, pitui-
tamq; gignat: si tamen probe conficiatur, valentissime nutrit, magisq; ori placet, quam spinalis, quod hac sapidior sit in
omnibus suis partibus. *Μεδούλα* Graece: Medulla Latine vocatur: Arabice, Mochial halhadam, seu Moch simpliciter: Isra-
licè, Midolla: Germanicè, Maref: Hispanicè, Tuetanos, & Tutanos: Gallicè, Moelle.

Medullae
in cibis
facultas.

Nomina.

Χολή.

F E L.

C A P. L X X I.

10

Fel omne reponitur hoc modo: Recens praeligato ore folliculi lino tamdiu demissum in ferventem a-
quam, dum quis spatium trium stadiorum percurset, mox exemptum siccatum umbroso loco, asper-
ginem non redolente. Sed quod ad oculorum medicamenta adjici solet, ligatum lino in vitreum vas,
quod mel habeat, immittitur: circumvoluto ad os vasis lini principio, & aperto vase reconditur. Est au-
tem omnis fellis vis acris, & exalfaciens: intensis tamen, & remissis viribus differunt. Siquidem prestan-
tius in effectu esse videtur fel marini scorpionis, & piscis qui callionymus appellatur, marinae testudinis,
hyænae q; item perdicis, aquilae, gallinae candidae, & sylvestris caprae, quod privatim prodest contra suf-
fusiones incipientes, & oculorum caligines, argemas, & genarum scabritias. Ovillo, fusillo, hircino,
atque urfino, taurinum multo efficacius. Felle omni perfacilem, praesertim infantibus, dejectionem quis
moliatur, si intinctum eo tomentum aut fimbriam, sedi subiciat. Privatim taurino anginae cum melle
perunguntur: sedis ulcera sanat, & ad cicatricem usque perducit. Idem auribus fractis, & purulentis
cum muliebri lacte, aut caprino instillatum, medetur: & fibilo earundem ex porri succo. Admisceri
infuevit vulnerariis emplastris, & circumfinitionibus, quae contra venenata parantur: phagedaenicis
ulceribus colis, & scroto doloribus ex melle prodest: lepras, furfures cum nitro, & terra cimolia quam
optimè purgat. Ovillum, & urfinum contra eadem pollent, verum inefficacius haec praestant. Urfinum
eclegmate comitiales adjuvat. Fel testudinum anginis, & in ore infantium nomis prodest: naribus in-
ditum comitiales erigit. Sylvestrium caprarum felle peculiariter peruncti lusciosi sanantur. Hircinum
idem obit munus: thymia abolet, & luxuriantes elephantorum extuberationes illitu reprimunt. Suil-
lum autem contra aurium ulcera, reliquaque omnia magno usu assumitur.

30

Quamvis de fellis reponendi ratione, atq; etiam de ejus viribus abunde scripserit Dioscorides, non tamen ob hoc pra-
termittenda existimavi nonnulla, quae a Galeno lib. 10. simpl. medicamentorum de selli facultatibus scite memoriae
sunt commendata. Est igitur fel (auctore Galeno) succorum, qui in quocq; sunt animalium, calidissimum. Itaq; sicuti
sanguinem, & carnes dissimiliter temperata obtinent animalia: eadem ratione & fel. Quocirca calidissimum fel,
aliorum quocq; animalium fel excellere necesse est: & quae illis minus sunt calida, proportionem & hunc humorem illis inesse
minus calidum, quanto scilicet & in aliis sunt inferiora. Caterum haec differentiae habentur non modo pro diverso ani-
malium genere, quod hac magis, illa vero minus calida sint: verum etiam pro diverso ejusdem generis animalium tem-
peramento, ac etiam irritamento. Quandoquidem fel tauri interfecti, qui funibus adalligatus, violenterq; diu tractus,
& cursu, & canum latratu defatigatus, & sitim famemq; & multum laborem perperis fuerit, ab ejus felle plurimum
differre invenietur tum substantia, tum colore, tum facultate, qui in pascuis latet liberq; vitam desiderat, ac quietam
duxerit. Nam defatigati, ac vexati animalis fel substantia crassius erit, colore nigrius, viridius, aut magis caruleum,
magisq; argenti simile: ob idq; etiam longe calidius erit quam alterius, qui in pace, & otio degerit: Ideoq; fel anima-
lium quanto tenuius est, ac colore constat dilutius, tanto minus spissioribus & magis colore saturatis exalfacit. Gi-
gnitur in bubulo felle lapis quidam nonnunquam ovi magnitudine, croceo colore, faciliq; friabilis, cujus Dioscoridem &
Galenum meminisse non reperio. Hic (ut pleriq; perhibent auctores) potius vesicae calculos comminuit. Naribus inditus
visum mirifice acuit, & aquam in oculos fluentem inhibet. Tritus lentis quantitate, & beta succo commissus, & in erbi-
nis naribus attractus, comitialibus subvenit. Non desunt etiam qui idem magno successu ex vino exhibeant potandum
felle suffusus. Deniq; auratae, lupi piscis, perdicis, & galli gallinacei felle mirifice delectantur in coitu semine, si viri pe-
nis eo perungatur. Quod Graecè *Χολή*, Latinis Fel appellatur: Arabibus, Saratac, aut Merara: Italis, Fiele: Germa-
nis, Gall: Hispanis, Hiel: Gallis, Fiel.

Fellis vi-
res ex
Gal.

Fellis bu-
buli lapis
& ejus
vires.

Nomina.

Αἷμα.

S A N G U I S.

C A P. L X X I I.

Sanguis anseris, anatis, & hoedi, utilissime in antidota miscetur. Palumbi autem, turturis, & co-
lumbae, necnon perdicis, oculis cruore suffusis, & recentibus eorum vulneribus, lusciosisque illi-
nuntur. Peculiariter columbae sanguis, cruorem membranarum cerebri erumpentem inhibet. Hirci, ca-
prae, cervi, & leporis sanguis in assatus sartagine, dysenterias, & coeliacorum profluvia sistit, in vino po-
tus contra toxica efficax est. Leporinus sanguis ita ut tepet illitus, vitia cutis in facie, lentiginesque e-
maculat. Caninus commodè ab his bibitur, quos efferata in rabiem bestia momorderit: contra eorum
toxicum auxilio est. Testudinis terrestres sanguinem epotum tradunt prodesse comitialibus. Marinae
autem testudinis cum vino & leporis coagulo, cuminoque contra serpentium morsus, & hausta rubetae
venena convenienter bibitur. Taurinus cum polenta illitus, duritias discutit, emollitque. Sanguis
equarum, quae admissuram expertae sunt, in medicamenta additur, quae erodunt, septica vocant. San-
guine chamaeleonis genarum palpebras evelli creditum est. Hoc idem viridum ranarum sanguine pre-
statum. Menstruus sanguis foeminarum, circumlitu conceptum inhibere existimatur: aut si omnino
mulier menstrua supergrediatur, levat podagrae dolores, & ignem sacrum illitus.

Disse-